

2881

## LITURGICI.

2882

status praesens, nisi in *Codice* seq. aperte *Calderini* nomen praeferret. Hunc igitur *Codicem* confer.

DCCXCVII.

669 Codex chartaceus lat. Sec. XV. sub finem vero XIV. Folior. 163. 4. maximam partem in charta polita nitide exaratus et rubricis distinctus ita praescribitur: *Johannis Calderini liber cui nomen est thesaurus Pontificum Incipit feliciter. Johannis* hujus patria Bononiensis, ob insignes animi dotes a celebri *Johanne Andreae* adoptati, Iuris Canonici Doctoris et *Bononiae* usque ad an. mortis 1365. Professoris Opera in Jus memoratum nota et non semel typis vulgata sunt; praesens vero Liber *Fabricio, Mansio, Pancirolo, Tirabosco* ignotus, quod sciam, lucem nunquam vidit, Nobis jam *Codice* praeced. *adscriptos* indicatus. Sunt in eo praeclare congesta omnia, quae ad Episcopatus, inferiorumque in Ecclesia Graduum Officia, Ritusque sacros spectant, quaeque alio nomine *Benedictionalia, Ritualia, Ceremonialia, Pontificalia* adpellantur. Prooemii ad quendam Episcopum directi hoc est initium: *Quemadmodum Constantinus Episcopus Cypri dicit in Concilio Melden. (I. Nicaeno II.) non oportet nos qui Episcopi sumus, indigere doctrina, sed aliorum esse doctores &c.* Sequuntur multa de dotibus in Episcopo requisitis ex J. Can. et postquam Autor dixisset, se multa sumfisse de *rationali diuinorum Offi-*

*ciorum guillelmi durandi*, ita de Opere suo pergit: *Qui liber in quinque partes diuiditur — In prima parte tractatur de collatione ecclesiasticorum ordinum et dignitatum. In 2<sup>a</sup> de consecratione ecclesiarum altarium Cyniteriorum. In tertia de canonizatione sanctorum, celebratione festiuitatum letaniarum nuptiarum et ieiuniorum et de ordine Officii Quinte et Sexte ferie et Sabbati sacre Ebdomate. In quarta de celebratione conciliorum et in ratione (administratio- ne?) diuinorum officiorum et ordine officij nocturni et diurni. In quinta de administratione necessariorum sacramentorum ecclesiasticorum. Partes singulae praeviis Tractandorum Titulis instructae sunt. Pars I. incipit: De ecclesiasticis ordinibus in genere sermo. Videndum est quid sit ordo &c. Totius Operis finis cum clausula: ne sine vocatione decedat v. d. baptizari. Et sic est finis libri Thezaurorum pontificum Per R. d. Johannem Calderini de Bononia editi. Scriptique per me Johannem henrici de Borsalia. An. domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXIII<sup>o</sup>. feruente expeditione contra Turchos Regnante Paulo primo (II.) Pontifice Maximo. Adhaerent ab eadem manu: I. De canonizatione alicuius sancti uel sancte. Ritus, qui incipit: Paretur summus pontifex ac Cardinales atque prelati paramentis albis &c. Nescio, an ullibi impressus sit; differt enim ab iis, quos memorat *Benedictus XIV. de Beatt. Canoniz. L. I. c. 36. §. 7.* uti etiam ab eo, quem refert *Cpb. Marcellus de Ritib. eccl.**

A a 3

eccl. edit. Venet. 1516. fol. 30. II. Copia bulle Nicolai pape Quinti de innouatione anni Iubilei cum alijs literis insertis. Literae infer-tae sunt Clementis VI. et Grego-rii XI. Iubileum anno quinquagesimo adfigentium, quos Nicolaus sequitur. Bulla incipit: *Immensa et innumerabilia sunt diuine misericordie munera &c.* *Victorellus* in addit. ad Ciaconii Vitam Nicolai ait, vitam sibi *ms.* in *Vatic.* Archivio, unde miror eam in *Car. Cocquelinii Bullarum Collectione*, quae *Amplissima* inscribitur, T. III. non comparere.

*Fol.* 145. et deinceps alia manu: *Breue pape ad dominum Gorcensem pro clero Metensi. Datum*, ut in calce, *Rome apud sanctum Petrum sub Anulo piscatoris die XVIII. Maij MCCCCLXIII. pont. nostri Anno quinto.* Igitur *Pii II.* ad *Udalr. de Sonnenberg Friderico III. Imp.* a consiliis, et sibi, dum esset *Aen. Silvius*, probe notum. Fervente diffidio inter *Dietherum Isenburgicum* et *Adolphum Nassovium* de Sede *Moguntina*, Pontificeque *Adolphum* legitimum Praesulem declarante *Metenses* pertinaciter *Diethero* adhaerebant, Canonicosque *Pio* morigeros multum vexatos urbe tandem excedere coegere; rogat igitur *Udalricum* Pontifex, ut Imperatorem permoveat ad *Bannum Imperialem* in Urbem refractariam promulgandum. Initium: *Non putamus latere tuam fraternitatem quantis oppressionibus. quantis violentijs et dampnis Iusticiarij et gubernato-*

*res Ciuitatis Metensis dilectos filios Decanum et Capitulum Metense eorumque adherentes contra libertatem ecclesiasticam persecuti sunt &c.* Non extat inter *Epistolae Aen. Silvii*, nec adfuit *Meurisso* in gallica *Episcoporum. Metens.* *Historia* edita *Metis* 1634. qui ceterum totam hanc Controversiam L. III. p. 570. ab ovo enarrat.

*Fol.* 146. p. 2. Iudicium de *Cometa*, qui a. 1471. *Septima die Januarij media nocte in oriente* apparuit, autore *Philippo Peregrino*, qui se mare transgressum dicit. Vide de hoc *Cometa Stanisl. Lubienecii Theatrum* P. II. p. 300. Nostri vaticinia in allegoriam de *Aquila* aliquantisper ad humilia Animalia depreffa, sed vires volatumque resumente defidunt, quibus immorari non est operae pretium.

*Fol.* 152. manu Sec. XIV. *Traclatus*, ut in calce, *Magistri Arseginiri.* *Collectio Sententiarum et Proverbiorum ad Vitam recte instituendam* nullo certo procedens ordine, cujus Proemium a Librario non parum depravatam ita incipit: *Quicumque sapit hijs regulis meliora dum laudet qui pociora cessit &c.* De fontibus suis ita: *quedam sunt ex ipso ydyomate deriuata. quedam ex Auctorum et philosophorum voluminibus deflorata.* *Collectio ipsa inchoat: In quolibet facto pars potentia (praecipua?) est inchoare. nam res incepta media est peracta. &c.* et finit: *Magna vobis est. si dissimulare non voltis. necessitas pro-*

2885

## LITURGICI.

2886

*probitatis indidta cum ante oculos agitis iudicis cuneta cernentis. E nomine Autoris corrupto extundo Arseninum Patavinum Grammaticum, qui circa an. 1216. Quadrigam edidit constantem Regulis grammaticis, Sententiis, Proverbiis et Epistolis vifam in antiquis membranis Bern. Scar-*

*deonio, ut ipse testatur de Anti-quit. Urbis Patav. &c. p. 229. Itaque hujus Quadrigae medium Codex noster exhibet, in cujus Theca anteriore varia notata leguntur, e quibus conjicias, eum alicubi circa Coloniam conscriptum fuisse. Inter alia Dicta istud occurrit:*

*Benedicite**De la Jeunesse de nostre frere de Barry.**De la saigeffe de duc de Calabre.**De haultre cudance (cuidance, cogitatio) de Bourbon.**De lorgeul de celluj de Brytaine.**De puissance de conte de Charloys.**Et de lorribilite de Conte darmyniack.**Libera nos domine.*

Quod deinceps et germanice redditur.

## DCCXCVIII.

<sup>75</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 249. f. nigro rubroque paene alternis scriptus hunc praefert titulum: *Instrumentum Liturgicum cum suo apparatu, continens videlicet omnia christianae pietatis officia per totum annum solennia, secundum catholicae veritatis stylum e sacris potissimum literis confectum &c.* Invenias itaque hic Schemata Horarum Canoniarum, Sacrificiorum Missae, aliorumque sacrorum Rituum formulas, sed quae ferme semper a recepto Ecclesiae usu abluant,

ita ut ignotus hic autor limam illi, si Superis placet, adhibere voluisse videatur. In novos ubique Hymnos, novas Praefationes, Orationesque incurras. Delibabimus quaedam. Oratio ad primam Missam in Nocte Nativitatis Domini ita corrumpitur: *Deus, qui banc pacatissimam noctem ueri luminis ortu fecisti clarescere, fac etiam quaesumus illuminari nos interiorius, illustrari exteriorius, carere tenebrarum offensionibus, et lucere charitatis omniumque uirtutum aliarum operibus. Per ipsum Dominum &c.* Eleganti hymno in Feste D. Iohannis Bapt. Antra deserti &c. substituitur sequens:

*Mira*